

eur intergres. l. 37. D. de Legib. & in l. 38. D. eod. *Jetus Callistratus* ait: In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem vim legis obtinere. Quæ tamen omnia non ulterius sunt extendenda, quam quatenus consuetudo est in vigore posita, non abolita per desuetudinem, non revocata per legem posteriorem. Id quod pari modo ad Leges expressas civiles applicari debet.

§. XIX. Postquam de speciebus Juris pro instituti ratione breviter vidimus, & sæpe occurrat ut in communi vita præcepta Jurium diversorum circa actus occurrence dubium reddere possint agentem cui adherere debeat; paucis etiam de his videbimus. Ubi I. talem ponimus regulam: Semper affirmativum præceptum cedit Negativo. Hoc est: Quoties concurrunt duo præcepta, quorum alterum injungit aliquid, alterum prohibet, tunc secundum negativum se conformare debet is qui dubius est. Injungant ergo licet mihi parentes homicidium, adulterium, ut ut iisdem ex lege Naturæ obedientiam præstare debeam, satius tamen est adherere præcepto negativo de non occidendo de adulterio non committendo. Cujus ratio petenda est ex natura præceptorum affirmativorum & negativorum. Præcepta enim negantia ut Scholastici loquuntur, semper obligant & ad semper. A malo enim quod interdicit, ita abstinere jubent, ut nullo unquam temporis momento committatur, qua ratione semper abstinendum ab homicidio, furto, adulterio, blasphemia &c. Affirmativa autem præcepta obligant quidem semper sed non ad semper, sive pro quovis temporis articulo, sed tum demum, cum præsto est objectum, & tale, quale præceptum exigit, ut actiones circa illud exerceri oporteat. Ita misericordiam jubemur exercere erga pauperes, at validi & improbi mendicantes, tales non sunt, quales beneficiam proficere jubemur. Ita præceptum de amando DEO non semper requirit actum elicatum & exercitum, cum humana conditio ejusmodi perpetuitatem non ferat, sufficit si aliquando & certo tempore amet, nec eo tempore, quò amor exigitur aliquid faciat contrarium, quod amo-
rem